





1776, 51

503

116

DE

# DAMNATA MEMORIA



DISSERTATIO PRIMA

Q V A M

CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM COLLEGII

PRAESIDE

CHRISTOPHORO FRIDERICO

W O L L E

LEGVM AC PHILOSOPHIAE DOCTORE

A. D. XX. IVN. MDCCLXXVI.

IN AVDITORIO ICTORVM

DEFENDET

IOHANNES GOTTLOB SOLBRIG

LIPSIENSIS

---

LIPSAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA



MEMORIA

CHRISTOPHORO FREDERICO

WOLFF

IN ADIUTORIO

JOHANNES GOTTLIEB SOLBRIG

LEIPZIG

IN OFFICINA





## PRAEFATIO.



**E**st profecto et acutissimorum quorumuis neque tam cum voluptatis ignaviae quam potius cum officii sui ratione deliberantium Ictorum auctoritate comprobatum, et per se certum satis exploratumque, non modo insignem quandam suavitatem allicere, aut egregiam vtilitatem impellere, verum et necessitatem ipsam cogere quemuis Iurisprudentiae sacramento obligatum, siue in academiarum ille vmbraulis latere, siue in fori luce sese iactare, siue ad novas etiam leges scribendas ingenii vi suffultus ascendere cupiat, vt quemadmodum recentioris aetatis vsum praeteruolare fastidiosè plane nomen ipsius dedecet, ita nec in angustis huius aut Iustinianae aetatis finibus sese contineat vetustatis incuriosus, sed vt potius in antiquissimorum temporum memoriam redeat animo, ad peregrinas leges ex quarum fontibus manarunt legum Romanarum flumina devertat interdum, per singulas deinceps singulis temporibus



bus a legumlatorum prudentia factas legum mutationes, ipsasque earum causas ingenii acumine peragret, tuncque tandem, quae ex collecta in itinere hoc rerum copia ad usum hodiernum seponenda, aut certe ob lucem, quam huic aetati porrigunt, haud negligenda, quae autem tanquam infructuosa plane abiicienda videantur, diligenter circumspiciens, in ipsa recentiorum temporum propinquitate subsistat. Ut enim qui sola antiquitatum notitia subnixi in foro hodie ambulant, ob diuersam plane temporum locorumque naturam egregiamque morum discrepantiam non possunt non vbiuis fere offendere; sic qui ob neglectum antiquitatum iter, causarum quae pepererunt leges, notitia destituti apparent, sine sensu quodam quasi legum pulsu velut mobile lignum agitabuntur, diuellendisque adeo tam arcto colligandis vinculo rebus exitiale velut animi corporisque discidium inducent. Etsi autem maiorum memoria atque hac ipsa nostra aetate exiuerunt tot viri ingenio doctrinaque praestantes, ab illa in antiquis rebus indagandis oscitantia pariter ac ab hodierni usus contentu alieni, qui legum vel difficillimarum sensum tam feliciter elicuerint, rationes earum tenebris saepe inuolutas historiae luce tam clare illustrarint, variarumque mutationum inde a primis vsque ad vltima tempora, ne nostrae quidem aetatis ratione neglecta quasi seriem quandam tam accurate texuerint, vt materiam aliquam ex antiquitatum sylua doctrinaeque adeo quadam parte decerptam, eandemque ad usum hodiernum non plane inutilem, neque in scholis decantatam illam, neque in Ictorum commentariis satis contritam, reperire hodie difficile sane videatur; talem tamen nuper quaerentibus nobis, in qua posset tractanda per hanc scribendi occasionem opera nostra illorum virorum, quibuscum solo studio nos comparandos censemus, exemplo

in



incitata versari, obrulit sese feliciter sane, si recte indicamus, illa de damnata memoria nobilis profecto materia. Nam illam, quae a GERLACHIO olim hac de materia conscripta reperitur, dissertationem praeterquam quod nulla elegantia doctrinaeque sese ea commendet apparatu, superfluisque bene multis abundet, nullum nobis etiam magnopere in enucleandis potissimum singulis partibus orium fecisse comparando facile intelligitur, quae autem a legum scriptorumque veterum commentatoribus inprimisque a LIPSIO in *Exc. ad Tacit. Annal. Lib. VI.*, RADVLPHO FORNERIO *Rer. quotid. Lib. II. c. 17. et 18. in Oth. Th. T. II.* RAEVARDO *Coniectan. Lib. III. c. 16.* aut a STRYCKIO *de Iure sensuum 8. 4.* admonita leguntur, tam pauca sunt vt non tam paruum aliquod spicilegium illi viri, quam largissimam messem nobis reliquisse videantur, estque tamen illa materia cum non modo in veterum scriptorum legumque locis, sed in ipso pontificio iure, imperiique placitis mentio eius toties iniecta deprehendatur, torque eius exempla occurrant, ac praeterea ex litterarum campo varii ad eam exornandam flores spargi possint, si qua alia summa vtilitate suauitateque insignis. Quare si memoriae damnationis ortum varios apud populos progressumque, tum variam eius variis temporibus naturam rationemque ex legum ac scriptorum locis expressam proponeremus, adiecto deinceps, quae arctissima hanc materiam contingit cognatione, memoriae reformationis modo atque exemplis, coeptamque ita a Cl. TROTZIO, qui egregiam *de propagata memoria* opus reliquit, telam pertexeremus, probabile quoddam industriae nostrae specimen nos exhibituros esse iudicauimus. In qua re si suffragium peritorum aequorumque iudicum quodammodo tulerimus, non modo pulcherrimam hanc laboris quasi mercedem existimabimus, sed etiam ad alias tales materias,



quas in aduersariis notatas asseruamus eodem modo tractandas fortissime incitabitur studium nostrum. Ne tamen nimis cresceret scriptionis huius qualiscunque moles, chartaeque adeo angustia prohiberemur a singulis partibus diligentius tractandis, diuidere sicque describere placuit tractationem hanc totam, vt in hac prima scriptione potiora damnationis memoriae capita illustrata exhiberemus, reliqua autem elaborata a nobis et quae memoriae restitutionem concernunt, quem quasi agrum plane incultum deprehendimus, aliarum occasionum opportunitati referuaremus.

CAPVT I.

*De origine et factis damnationis memoriae apud  
varios populos imprimisue Romanos.*

§. I.

**E**st sane, vt ab ipsis statim causis, quae ad decernendam hanc memoriae damnationem permouerunt legumlatorum prudentiam disputationis nostrae capiamus exordium, est igitur omnium cupiditatum humanarum ardentissima haud dubie honoris laudisque cupiditas. Atque habet haec cupiditas hoc proprium, quod cum reliquae ipsis vitae finibus terminentur, neque animus de illarum post fata alimentis magnopere cogitet, haec vna quasi ultra mortem prospiciat, immo vero futurorum quamuis ad se haud pertinentium seculorum cogitatione tanquam longe dulcissimo pabulo alatur. Neque cum iis, qui nimiam sui despicientiam ore promptam gerunt, longe maximam plerumque superbiam corde prementes ipsi, esse hanc cupiditatem, si modo laudabilibus honestisque factis fatiare illam contentur homines, neque laudem tanquam finem se-

quan-





quantur, sed potius ea velut stimulo impellantur, reprehendam ex animoque plane ciciendam statuendum videtur. Etsi enim, vt PLINIVS praeclare ait lib. I. ep. 14. *non tam appeti debet fama quam sequi* ad huncque sensum quotidiana exercitatione animus omnino est perducendus, sic vt magis ducatur officii grauitate, quam aurae popularis leuitate feratur, ea tamen videtur esse animi humani imbecillitas, ad quam celsissimi quauis aetate heroës, immo ab ipsa sapientia nomen mutuati viri, quid? quod illi ipsi ac liberalissimi quique imprimis depressi fuere, vt ad egregia facinora suscipienda non facile incitetur sola pulchritudinis eorum cogitatione, nisi incendatur simul honoris quasi quibusdam igniculis, vtque in quibus nulla ardeat talis cupiditatis scintillula, iidem ad ipsas virtutes exercendas plerumque frigidi reperiantur. Sed caueamus ne dum ab ipsius naturae manu in omnium animis insculpta principia proponimus, eo ipso quod longius iis immoremur more hominum nostrorum, abstrusa atque recondita plane mysteria enunciare, aut quae per se satis lucent scriptorum sententiolis poetarumque versibus tanquam luminibus quibusdam illustrare nos velle videamur, praesertim cum omnium gentium exempla institutaque illius cupiditatis vim satis clament, omniumque gentium legumlatores recte factorum suscipiendorum studium laudum praecipue praemiis proponendis aut excitare plane aut certe confirmare studuerint. Ista enim in nomine conseruando eodemque ad alienos tribuendo adoptionis beneficio propagando, monumentis post mortem sibi exstruendis, luctu suscipiendo, ludis in honorem memoriae instituendis, atque ipso caduere ab iniuriis defendendo adhibita ab omnibus gentibus vel putida diligentia luculentis omnium scriptorum testimoniis, firmata a Cl. TROTZIO in laudato opere, et quae ad talem



lem se demiserunt imbecillitatem legumlatorum decreta, quid aliud indicant quam acerrimum omnium hominum honoris aut certe nominis alicuius adipiscendi, immo eisdem post mortem conseruandi studium. Atque illud ipsum persuasit legumlatoribus fere omnibus, quo ab atrocibus immanibusque facinoribus abstererent hominum animos, nullum se praesentius remedium, nullum firmitus quasi frenum adhibere posse, quam si eorum qui talibus se commaculassent non modo corpus poenis se excruciaturos, vivisque iis ignominiae notam inuicturos, sed etiam, quae memoriae damnatio proprie dicitur, famam eorum post mortem perpetua obliuionis nocte auctoritate sua inuoluturos esse minarentur.\*) Praeterea nullo modo facilius ipsorum factorum atrocium memoriam ex animis hominum delere cauereque adeo se posse, ne exempli quasi contagione latius serperet eorundem suscipiendorum libido, recte statuisse videntur, quam si ipsorum qui talia perpetrassent hominum memoriam omnem abolendam hoc modo curassent.

## §. II.

Sed prius quam ad huius damnationis naturam demonstrandam lumenque legibus accendendum progrediamur, age iam temporis ratione habita originem eius ac fata inde ab antiquissimis temporibus populisque repetentes exponamus. Ac antiquissimum quidem exstirpatae memoriae, quod proditum reperitur, exemplum est haud dubie illud, quod in ipsis sacris litteris occurrit neque adeo a nobis plane silentio praetereundum, praesertim cum alii illud attingerint, quamuis e longinquo modo illud hic spectare ipsi

\*) De voce memoriae eiusque significato vid. quae post alios copiose magis quam accurate dixit Trotzius l. c.



ipsi consentiamus. In iis enim Amalekitarum, id est in Arabia commorantium Cananitarum, capitali quodam odio a Iudaeis diffidentium atque ea propter ex praecepto Moſis a Iofua debellatorum memoriam omnem ille ipſe Iofuas delere, atque ſi etiam poenitentia ducti priſtinum aduerſus Iudaeos odium eierare velint, tamen ab omni ſocietate eos excludere iuberetur, vti ex *Exod. XVII, 4. Deut. XXV, 17. et 19. 1 Sam. XV, 8.* aliisque Locis intelligitur. Atque quae de hac capitali Amalekitarum Iudaeorumue inimicitia dixerunt SELDENVS *de Iure Nat. et Gent. Ebr. Lib. 6. C. 16. II.* MICHAELIS *de Iure Moſ. P. II.* digna ſane ſunt quae legantur. Sed qua quaſi via progreſſi fuerint Iudaei in hoc ſuo conſilio exſequendo, ac num in delenda Amalekitarum memoria eandem quam alii poſt illos populi rationem tenuerint nullibi litteris conſignatum legimus.

§. III.

Clarius vero cernitur hoc facinoris cuiusdam memoriae omnis extirpandae conſilium in Perſarum hiſtoria, qui cum Darius Rex vna cum fratribus aduerſus patrem Artaxerxem nefario aſu inſurrexiſſet, non modo illos ipſos qui manus intuliſſent trucidandos, verum etiam coniuges liberosque omnes, quamuis innocentiae quaſi clypeo ſe tegentes, ad mortis ſocietatem eſſe vocandos, vnaque cum iis omnibus omnem huius peſſimi facinoris memoriam eſſe ſepeliendam decreuerunt. Vid. *IUSTINVS Lib. VIII, 2. CVRTIVS VII, II. VIII, 9.* Macedones etiam non ſatiabantur ipſorum patriae hoſtium morte ſed ne vllum exſtaret tanti ſceleris veſtigium omnem eorum memoriam abolendam omnibusque adeo propinquis vitam ſpiritumque adimendum eſſe exiſtimarunt. *CVRTIVS VI, II. 20.*

B

§. IV.



## §. IV.

Neque ab eiusdem consilii ratione aberrarunt Ephesii qui cum Herostratus iste famae colligendae nominisque conseruandi acerrima lubidine iactatus, quo illam aliquo modo compefceret, longe celeberrimum Dianae templum incendisset, propterea vt omnem eius conatum eluderent, spesque eius omnis quasi dilapfa flueret, ne quis vilo tempore nomen eius nominaret, communi consilio decreuerunt.

STRABO *Lib. XIV.* VALER. MAX. *VIII.* 25. PLINIVS *XXXVI.* 41. GELLIVS *II.* 6. MACROBIVS *VI.* *Sat.* 7. Luculentissimum tamen talis memoriae damnationis exemplum in Atheniensium sese nobis offert historia. Praeterquam enim quod ii ipsi eodem consilio ducti, vt omnia tollerentur indicia facinorum, proditorum ac hostium corpora insepulta abicerent, de quo deinceps cum ad singulas partes venerimus curatius exponemus, clarissima etiam omnis talis damnationis vestigia in illis, quibus acerrima ira incensi Philippum Macedoniae regem affecerunt, cernimus poenis. Sic enim LIVIVS *XXXI.* 44. *Athenienses*, inquit, *comperta Romanorum aduersus Philippum victoria rogationem ex templo tulerunt, vt eius statuae, imagines omnes, nominaque earum, item maiorum eius virilis et muliebris sexus omnium tollerentur, delerenturque dies festi, sacra, sacerdotes, quae ipfius maiorumque eius honoris causa instituta essent, omnia profanarentur, loca quoque in quibus positum aliquid inscriptumque honoris eius causa fuisset detestabilia essent, neque in iis quidquam postea poni dedicarique placere eorum, quae in loco puro poni dedicarique fas esset, sacerdotes publicos, quotiescunque pro populo Atheniensi sociisque et exercitibus, et classibus eorum precarentur, toties detestari atque execrari Philippum, liberos eius regnumque, terrestres naualesque copias, Macedoniae genus nomenque omne. Atque tam illustre est hoc*  
Athe-



Atheniensium exemplum vt omnem hunc abolendae memoriae ritum non in ipso romano solo creuisse, sed vna cum tot aliis ex Graeciae solo in romanum traductum fuisse cum RAEVARDO plurimi recte colligere videantur.

## §. V.

Sed vt Romam veniamus, quae non ipsa modo fuit foecundissima legum pulcherrimarum mater, sed alias etiam in primisque graecas liberaliter suscepit fuitque ac aluit egregie, Romae etiam hunc damnandae memoriae ritum susceptum fuisse videmus, cuius vel antiquissima exempla nondum animaduersa omnia in vnumque locum congesta, imperatorumque de ea damnatione constitutiones ordine quodam proferre iuuat. Ac antiquissimum quidem romanae crudelitatis aduersus nomen memoriamque omnem hominum exemplum ipsa iam Tarquiniolorum fortuna exhibet, quorum nomen imperiique memoriam plane delendam esse iudicarunt Romani iis infestissimi CICERO *de Off. l. 3. c. 10.* Neque deinceps de illa crudelitate aliquid remiserunt. De Sp. enim Cassio ad senatum relatum esse legimus auctore DYNISIO HALIC. *L. VIII. p. 547.* vt non modo ipse deiceretur de rupe Tarpeia, sed memoria eius omnis ac nomen extingueretur, liberique eius ab honoribus arcerentur, quamuis mitior deinceps sententia vicerit. Atque circa Marisci belli finem, vt eadem fortuna proscriptos eorumque bona ac liberos expectaret constituit L. Corn. Sulla Dictator, VELEIVS II. 28. 4. Sed praesertim tamen Augusti aetate damnationis memoriae poenam tanquam comitem pressisse perduelles animaduertimus. Antonium enim Lepidumque patriae hostes ira subisse eam, vt non modo bona eorum publicarentur, sed etiam statuae eorum euerterentur nomenque deleteretur testatur CICERO *ad Brutum 15. in fine.* Atque sic sequentium imperatorum aetate,



in primisque sub Tiberio, Nerone, sub quo Senecae memoriam damnatam fuisse TACITVS refert *L. 14. et 16.* Vespasiano, qui vt suo loco videbimus, diferte commune coniuratorum supplicium constituit sepulturae denegationem, sub illis igitur imperatoribus magis magisque corroboratam quasi adoleuisse illam poenam cognoscimus, nisi quod in quibusdam perduellibus, quorundam imperatorum lenitas abhorruisse videatur ab illius acerbitate, quemadmodum Antoninum Pium Atilio Titio, Antoninumque Philosophum Cassio indulgisse narrat CAPITOLINVS in *eorum vitis.*

## §. VI.

Quae autem huc vsque omnium fere gentium exemplo, vsu modo consuetudineque inoluerat, apud Romanos memoriae damnatio illam totam diferta constitutione probasse primum Diuum Marcum, alias in exercendis maiestatis iudiciis mitissimum principem \*) *L. 8. C. ad Leg. Iul. mai. doce,* vbi MARCIANVS: *Post D. Marci Constitutionem hoc iure uti coepimus, ut etiam post mortem nocentium hoc crimen inchoari possit: ut conuicto mortuo memoria eius damnetur, et eius bona successori eius eripiantur, nam ex quo sceleratissimum quis consilium coepit, ex inde quodammodo sua mente punitus est.* A cuius constitutionis asperita

\*) Pugnam, quae de praesita a Marco Imp. Drunciano Cassiani furoris socio clementia, inter CAPITOLINVM in *vita Marc. c. 20.*, qui liberam illum vagandi potestatem habuisse refert et *L. 7. C. ad leg. Iul. Mai.* vbi bona eius post mortem fuisse publicata traditur, intercedere videtur, optime dirimit GVDNLINGIVS in *hist. leg. Iul. mai. c. 1. §. 37.* quem et sequitur IO. VAN BEVERKER *Diss. de crim. mai. cap. 3. §. 5.* Druncanum nempe vixisse tanquam infontem post mortem vere eius tandem cum rescuisset eius facinus Marcus, bona eius publicata fuisse, sic vt non necesse sit neque cum CVIACIO *Depitiani* vocabulum substituere neque cum MATHEO *de criminib.* historiae fidem accusare.

asperitate abhorruit humanum Pertinacis ingenium, qui reuocauit eos qui deportati fuerant ex crimine laesae maiestatis, eorum memoria restituta, qui occisi fuerant auctore CAPITOLINO in ei. vita c. 6. cf. DIO Lib. LXXIII. p. 832. Sed sequentes eum imperatores Seuerus Antoninus que inductam primo diferta constitutione a Marco memoriae damnationem, a Pertinacis vero aequitate abrogatam quasi postliminio reducerunt vti commemorata L. 8. C. ad leg. Iul. mai. diferte tradit. Atque sic perpetua mansit haec poena vsque ad Iustinianum, qui et ipse illam solenniter approbat. §. 3. I. de publ. Iudic. Publica autem iudicia haec sunt, lex Iulia maiestatis, quae in eos qui contra imperatorem vel rempublicam aliquid moliti sunt suum vigorem extendit, cuius poena animae amissionem sustinet et MEMORIA rei etiam post mortem DAMNATVR. Hinc toties in legibus romanis damnationis memoriae mentio occurrit veluti L. 6. C. ad L. Iul. mai. Maiestatis rei etiam post mortem tenentur, et confiscatur eorum substantia: et post mortem hoc crimen moueri incipit et MEMORIA DEFUNCTI DAMNATVR et res eius heredibus auferuntur, non ex eo tempore, quo hanc cogitationem subiit, propter cogitationem dignus est poena. Idem in aliis etiam reperimus legibus vid. §. 5. I. de hered. quae ab intest. L. 6. §. 11. D. de iniust. rupt. irrit. test. L. 76. §. 9. D. de legat. II. aliisque multis.

## §. VII.

Haec de Iure Romano. Quod ad pontificium ius attingit si qui aduersus ecclesiae quasi fulcra Cardinales nefaria consilia agitaissent de illorumque dignitate maiestatis quasi aemula detraxissent, vt illi eadem poena memoriae nempe damnatione plecterentur iuris romani vestigiis insistentes constituerunt pontifices, sanctitate eorum hanc asperitatem non respuente. Sic enim BONIFACIUM VIII. c. 5. de poe-



nit in 6. totam fere memoriae damnationem romanam suscepisse videmus.

§. VIII.

Ac ne Germanicae quidem originis gentes, Romanorum aliarumque gentium vestigia in damnanda hominum memoria deseruisse videntur. Sic enim *IN IVRE DANICO Christiani V. Lib. V. c. 4. art. 1. Qui Regi aut Reginae contumeliose maledixerit vel etiam necem ipsis aut Liberis eorum machinatus fuerit, FAMAE, vitae ac bonorum amissionem incurrat. Dextra viuo amputabitur, corpus in partes sedum rotae imponitur, caputque et manus palo figetur. Si delinquens fuga supplicium euaserit, poena haec in effigie ipsius executioni mandabitur, in signa eius a carnifice frangantur atque heredes ipsius dignitate et stemmatis sui praerogatiua cadant. De Anglis autem COWELLYS Lib. IV. Instit. Angl. Tit. 18. vbi omnem laesae maiestatis reorum poenam commemorat, refert: Eousque proditoris MEMORIA DAMNATVR, vt non solum caput reliquique trunci partes palis publice positae affigantur, donec vel a volucris deuorentur, vel sublime putrescant: sed etiam soboles eius si quam habeat, omni nobilitatis sanguinisque paterni praerogatiua plerisque in casibus spoliatur. Atque eandem rationem tenuisse Gallos atque Suecos ex CHARONDA in Cod. Henrici III. L. VIII. Tit. 5. et LOCENIO in synops. Iur. Suec. diff. 29. intelligitur. IN AVREA autem Caroli IV. BVLLA Tit. 29. §. 14. vbi de electorum inuiolabilitate sermo est iuris romani de memoria damnata sanctio iisdem fere verbis repetitur: *Vber dem wollen wir und verordnen Kraft gegenwärtiger Satzung das auch dies Verbrechen nach dem Tod der Schuldigen dergestalt gerüget werden möge, das des überführten verstorbenen Verbrechers Gedächtniß verdammet und desselben Güther seinem Erblasser entzogen werden sollen. In mehrerer Erwegung, das seines**





seines lasterhaften Vorsatzes halber auch gleichsam sein böses Gewüth zu bestrafen seyn möchte. Qui recentissima memoriae damnatae exempla Crellii, Vhlefeldii, aliorum quaerit, ad eat LVDWIGII Comment. ad A. B. T. II. p. 408 seqq. Cf. etiam PHILIPPI ad Inst. Lib. IV. BOEHMER ad Const. Crim. p. 505.

## §. IX.

Ex his autem, quas ex omni populorum historia collectas proposuimus legibus atque exemplis constat, plenam memoriae damnationem, quam antiquam esse ac omnium fere gentium ipsè iam CICERO innuit in Ep. 15. ad Brut. iis potissimum ubique ciuibus, qui nefario ausu ipsam rem publicam aggressi essent, proprieque adeo sic dicti criminis perduellionis, quod a maiestatis crimine diligenter distinguunt leges, rei eiusque conuicti essent, tanquam poenam propositam fuisse, aliisque poenis, quae uiuis iis infligerentur, hanc quasi cumulum quandam accessisse, quo si non illis a pessimo consilio auocarentur, hac certe in morte et post eam metuenda contumelia ab illo absterrentur. Non modo tamen ciuibus, verum apud Romanos praesertim ipsis imperatoribus, qui aequitate in regnando neglecta crudeliter tractare ciues, atque ipsa reipublicae viscera euellere ausi fuissent, iussu populi auctoritateque senatus hanc poenam fuisse subeundam eadem exempla docent. Sic Domitiani, Commodi, Heliogabali, Maximini, memoriam omnem solenniter fuisse abolitam libidinemque adeo eorum inclarescendi hoc modo fuisse plane elusam Suetonii, Lampridii, Capitolini, Spartiani loca, singulis in capitibus a nobis commemoranda expendendaque accuratius satis euincunt.

CAP.



## CAPVT II.

*De Deletionē nominis ex omnibus publicis priuatisque monumentis, nominisque ipsius euerfione.*

## §. I.

Sed nunc ad ipsam damnandae memoriae rationem, singulasque quae plerumque illi damnationi quasi comites aderant partes, in libris luris potissimum commemoratas sese demittat oratio nostra, quo si fieri possit variis legibus opera nostra qualicumque lux quaedam affundatur. Hic autem statim sese offert ista nominum ex omnibus publicis priuatisque monumentis delatio, eo diligentius notanda, quo spissiore saepe chronologiae ac historiae caliginem introductam ea reperimus. Quam prouidam omnino curam adhibuerint veteres, si qua opera essent aut ab ingenio eorum profecta, aut certe sumptibus eorum confecta, ut sua tanquam auctorum nomina, suaque de illis merita conseruarentur, posterisque proderentur, nemo qui in veterum scriptoribus non plane hospes est ac peregrinus ignorat. Atque cum ipsi philosophi iis ipsis, quos de contemnenda gloria scripserant, libris, memoriae tamen causa nomen inscribere haud dubitauerint, alios etiam omnes, Imperatores, ICtos, legislatores in eiusdem imbecillitatis societatem uenisse, atque monumentis, libris, legibusque suis sua nomina praefixisse, quid? Quod hoc honore imprimis superbiisse, quid mirum uidetur? Ipsi artifices ac sellulariarum artium magistri operibus manu sua factis nomina sua diligenter inscribenda curabant, inscriptisque incredibili artificio tantam perennitatem conciliare conabantur, ut non nisi totis operibus peremtis nomen eorum memoriaque adeo periret. Conf. quae de *Softrato*, *Phidia* aliisque artificibus ex

*Va.*



Valerio Maximo Martialique commemorat b. TROTZIVS  
L. I. C. III. §. 5.

§. II.

Quod ad publica autem opera attinet, in iis siue exstru-  
ctis siue reparatis modo, primo loco principum nomen in-  
scriptum conspicietur, sic ut qui illud in exstruendo ad-  
dere neglexisset ex Theodosii Constitutione in *l. 37. C. Th.  
de op. publ.* criminis laesae maiestatis reus iudicaretur. Sed  
non negligebatur tamen operis curatorum nomen unde in  
*Corpore Gruteriano l. CLXVIII. n. 7. p. CLXX. 5. CLXXI.*  
7. toties praefecti urbi ad quem tum esset delata aedificio-  
rum cura nomen reperitur. Cf. DRAKENBORG *de praefec-  
tis urbi Cap. VIII.* Si qui tamen pecunia sua exstruxis-  
sent opera publica, iis, ut eo plures ad pecuniam hoc mo-  
do impendendam incitarentur, eodem modo, quo templis  
gentilium christianorumque ecclesiis conditorum nomen  
addebatur, praeter illa nomina etiam sua adscribere licebat,  
vbi ex *l. 3. §. 2. D. de administ. rer. ad civit. pert.* elucet, vbi  
dicitur: *Inscribi autem operi publico alterius quam principis,  
aut eius cuius pecunia id factum sit non licet.* Ac ne ii qui-  
dem qui modo instaurassent talia opera nomina sua aducere,  
instauracionemque aedificiorum sibi vindicare prohibeban-  
tur, modo non, id quod multi vanae gloriae stimulo agi-  
tati instituerant conditorum nominibus erasis, ipsius exstra-  
ctionis gloriam sibi arrogarent, *l. 7. D. de op. publ.*

§. III.

Neque modo a se confectis operibus nomine suo in-  
scribendo conservare illud ad posterosque prodere cona-  
bantur, sed si praecclare factorum laude florent, aut di-  
gnitatibus honoribusque splenderent in factis in primis il-  
lud inferendum diesque a se appellandos anxie curabant.  
Menses praecipue, qui antea, Romulo praeeunte, a diis ef-

C

fent



sent vocati, inde a Iulii Caesaris aetate Imperatores a se vocasse sexcentis exemplis constat. Atque multi Imperatorum eo processerant superbiae, vt non modo delectis antecessorum nominibus sua substituerent, sed etiam saepe duo occuparent menses, vti de Domitiano refert S V E T O N I V S *C. 13.* Annus autem vti apud Graecos Archontum nomine, sic apud Romanos consulum eorumque ordinariorum nomine numerabatur, ita vt consulum nomen omnibus publicis priuatisque actibus adderetur, quem honorem tandem cum dictatoribus imperatoribusque communicatum constat. *Nou. 47.*

§. IV.

Sed quoniam iam vidimus nomine operibus publicis priuatisque addendo atque annis mensibus ac diebus a se appellandis diligenter ad posteros propagandum nomen curasse Romanos, de quibus omnibus testimoniorum nubem coegit, saepe nulla necessitate cogente T R O T Z I V S, age iam, si cuius memoria fuisset damnata, nomen etiam eius vbiuis erasum fuisse probemus. Atque vt a Consulibus incipiamus, nominisque eorum ex fastis omnibusque monumentis euersione, de Antonio Cic. *Philipp. XIV.* ait, eius consulatum ex omnium monumentorum memoria reuulsum fuisse. T A C I T V S *lib. 3. Annal. 17 et 18.* nomen Pisonis radendum fastis censuit Aurdinus Cotta, quam tamen sententiam deinceps mitigauit Tiberius T A C I T. *lib. 2. Ann. 18.* Sic in *l. Decernimus de SS. Eccl.* omnia gesta Basilisci infirmat atque nomen eius constitutionibus subseribi vetat Zeno imperator. In *l. 17. C. Th. de poenis Eutropii* consulatum ex fastis eradi solumque Theodori collegae nomen inscribi iubet Arcadius. Atque Heracliano *l. 27. ibid. et l. 13. C. Th. de infirm. his,* eandem poenam decernit Honorius et Theodosius. Cf. C Y I A C. *Obs. Lib. 3. c. 19.* Vnde

de et CICERO in Orat. pro Sextio: Si appellandi sunt consules, quos nemo est, qui non modo ex memoria, sed etiam ex fastis euellendos non putet.

§. V. Atque per huius occasionis opportunitatem iuuat paululum digredi in duas Radulphi Fornerii Marcilique coniecturas de S<sup>C</sup>ri Trebellianici nomine, quod L. Annayo Seneca Trebellioque Maximo Coss. conditum esse constat. Ac Radulphus quidem Fornerius cum Senecae nomen in fastis desideretur, propterea illud desiderari putat, quod esset a Nerone maiestatis damnatus Seneca, memoriaque eius extincta. Quod etsi verissimum est, tamen et alia ratio subest, cur non relatum fuerit nomen eius in fastos, quoniam nempe Consul fuit suffectus Seneca. Vnde et Trebellii Maximi collegae eius, qui non hanc fortunae iniquitatem expertus fuerat, nomen ibi desideratur. Cf. EVERH. OTTO ad Instit. p. 291.

§. VI.

MARCILIVS autem ad §. 6. I. de fid. her. alii indulget coniecturae, S<sup>C</sup>tum scilicet hoc Annaeanum prius vocatum fuisse, ac deinceps tandem damnata Senecae memoria Trebellianicum appellatum, hac ratione ductus, quod a maioribus Consulibus nomina sortita essent S<sup>C</sup>ta. Sed cum falsis fundamentis constituta quiescat haec coniectura, corruiere omnis etiam videtur eius subtilitas. Non certam enim quandam normam in S<sup>C</sup>ris denominandis secutos fuisse Romanos, multa S<sup>C</sup>torum exempla docent. A maioribus quidem semper Consulibus illa denominata haud fuisse Liboniani, Siliani, Pisonianique S<sup>C</sup>torum exemplo refellitur, quae a iunioribus appellata fuisse videmus. Coniectura autem Cl. IOH. VAN BEVCKER de crim. maiest. Cap. III. §. 7. in Thef. Diff. Belg. Vol. II. T. I. si non ab utrisque Consulibus, ab eo apud quem fasces fuerint, nominata



minata fuisse SCta, *Pisoniano* quod saepissime et *Neronianum* vocatur, oppido falsitatis arguitur.

§. VII.

Sed redeamus ad nominis deletionem ac Imperatorum etiam, quorum memoria abolita fuisset, nomina titulosque ex omnibus actibus monumentisque publicis ipsisque factis erasos fuisse demonstremus ex veterum scriptoribus. Nam quod in quibusdam lapidibus talium damnatorum nomina tamen adhuc conservata reperiuntur, id modo clanculum contra auctoritatem publicam factum fuisse intelligitur. Cf. CASAREONVM ad *Lampridii Commodum c. II.* Sic *Donitiani* titulos eradendos censuit senatus auctore SVETONIO l. 23. de quo et MACROBIUS *Sat. I. 22.* ait: *infaustum eius vocabulum ex omni aere ac saxo, erasum ac ipsos menses quoque usurpatae tyrannicae appellationis exutos esse.* Sic CAPITOLINVS in *Gord. 9.* nomen *Maximini* publicitus eraserunt. LAMPRIDIVS in *Heliogab. nomen Antonini erasum est Senatu iubente.* Atque ex ipsis priuatis monumentis nomina fuisse deleta testatur LAMPRIDIVS in *Commodo cap. ult.* ubi ob vitam maleficiis coopertam nomen *Commodi* ex publicis priuatisque monumentis erasum fuisse atque menses etiam non amplius ex ipso nominatos fuisse perhibet. Cf. DIO CHRYSOSTOMVS in *Orat. Rhodiaca.*

§. VIII.

Commemorandum tamen hoc loco est, non semper nomina ipsa fuisse plane deleta, quanquam id plerumque factum esse ex indicatis exemplis colligitur, sed etiam interdu iis per dedecus modo oblinendis lutandisque contentos fuisse Romanos. Sic LAMPRIDIVS in *Eliogabal. Mist qui et in castris statuarum eius titulos luto tegerent, ut fieri solet de tyrannis.* EVSEBIUS *Hist. eccl. Lib. IX. c. ult. Γραφάς τε ὄσων εἰς τιμὴν αὐτῆ καὶ τῶν αὐτῆ παιδῶν κατὰ πᾶσαν ἀνέκην.*



το πόλιν, αἱ μὲν ἐξ ὕψους εἰς ἔδαφος ῥιπτέμεναι συνετρίβον-  
το αἱ δὲ τὰς προσόψεις ἠχρεῖντο σιοτινῶ χροίματι καταμε-  
λανόμεναι. Cf. LIPSIVS *Exc. ad Tacitum l. c.*

## §. IX.

Sed quoniam de nominis ex monimentis euerfione diximus, silentio hic haud videtur praetereundum, quo religiosiores alias essent in conferuandis praeclarorum hominum nominibus ad posterosque proferendis Romani, eo acerbius illorum crudelitatem quasi saeuisse in ipsum patriae hostium nomen atque ad talium hominum memoriam plane omnem delendam, superstites aliquando ex familia ad nomina mutanda aliaque assumenda adegisse. Ac antiquissima iam aetate tali in ipsum nomen odio flagrasse Romanos, ex MAMMERTINO intelligitur, qui in *Panegyrico c. 13.* mitto, inquit, *veteres qui saxo praecipites dati, quorum bona publicata, domus erutae, INTERDICTA POSTERIS NOMINA.* CIC. *de Off. lib. 3. c. 10.* Cum autem consilium hoc principes coepissent, cognationem superbi NOMEN que TARQUINIORVM et memoriam regni esse tollendam. Sic cauebatur ne quis ex Manliana familia Mantius diceretur. VALER. MAXIM. *lib. VIII. c. 25.* PLVTARCHVS in *Probl. 91.* Sic de DRVSOLIBONE TACITVS *Lib. II. An. ne quis cognomentum Drusi assumeret; IDEM lib. III. An. narrat CNEI. PISONEM ad mutandum nomen coactum fuisse; vnde et DIO Lib. LX.* Lucium Pisonem, ait, Cn. Pisonis et Plancinae filium Africae sub Claudio praefuisse. PLVTARCHVS autem in *Cicerone* tradit non modo Antonii statuas senatus auctoritate fuisse deiectas, sed etiam decretum esse ne quis vnquam Antoniae gentis Marci praenomen ferret, atque in *l. quoque pen. Cod. Th. de infirm. his.* eodem modo Heracliani nomen retineri interdicatur.



## §. X.

Ac ne quis existimet veteris modo crudelitatis recentiorum aetate inaudita, haec proponi exempla, ne recentiorum quidem temporum lenitatem a nomine eradendo pleneque delendo abhorruisse deprehendimus. *Radulphus* iam *Fornorius* Concilii Carthaginensis Canonem LXXXIV commemorat, ubi cautum est: *Si quis episcopus hereticos aut graecos ecclesia post habita heredes scripserit ei post mortem etiam anathema esse dicendum NOMENQUE EIUS IN ALBUM SACERDOTVM HAUD REFERENDVM.* Cf. *BALDVINVS ad leg. Iul. mai.* Cui vel vnum Ruuenorum Gauriae comitum, qui Iacobo Scoriae regi insidias struxerant exemplum addere iuvat, quorum posteros ad mutandum nomen adactos fuisse ex *Thuano* pluribus probat *LIMNAEVS in Iur. publ. VI. 6.* Atque in Aurea Bulla nominis condemnationis poena diserte repetitur, in perduelles que sic defaenitum fuisse constat.

## CAPVT III.

*De statuarum deiectione ac imaginum fractione.*

## §. I.

Sed haec titulorum nominumque deletio ducit nos ad illam arduissime cum ea coniunctam statuarum omnium imaginumque fractionem, quam et ipsam quasi perpetuum comitem adfuisse memoriae damnationi reperimus. Inter illa scilicet quibus viros virtutibus praeclareque factis insignes ornandos hisque honorum quasi stimulis alios ad eadem suscipienda instigandos putabat gens Romana aequa meritorum aestimatrix ornamenta, eminet in primis statuarum honos, qua in re imitata illa videretur Graecos, qui eodem





eodem grati animi sensu affecti bene meritis in publico statuas ponere solebant, pulcherrimum hoc virtutum praemium fortissimumque caeteris irritamentum esse putantes. Vid. MEVRSIVS in *Ath. Att. L. 3. c. 3.* Quanta imprimis aviditate Imperatoribus meritorum splendore insignibus statuas crexerint Romani, quamque religioso illas semper cultu profecuta fuerit eorum pietas ostendit GRONOVIVS in *diff. de imaginibus principum.* Sed et in statuis aliis praeclearis viris grati animi significandi causa, ponendis haud segnes fuere Romani. Quid? Quod fora, porticus, atque inprimis sepulchra incredibili statuarum multitudine nituisse ex legibus scriptoribusque luculenter apparet. Etsi autem ad impetrandum illud statuarum ponendarum ius initio Regum consensus, post senatus auctoritas, ac deinceps Imperatorum quoque simul iustus requirebatur, sequiore tamen aetate etiam tacito Imperatorum consensu tales erectas fuisse, atque privatos adeo homines nimia huius honoris adipiscendi libidine iactatos, cum conditione legatorum hereditariae iacturae heredes suos ad statuas erigendas adegisse invenimus, modo non in publico illas loco ponerent. Istam enim licentiam libero eorum arbitrio haud concessam fuisse, atque in municipiis municipalis magistratus auctoritatem requirendam fuisse, vel *L. 14. D. de condit. et demonstr. doctet: Titius si statuas in municipiis posuerit, heres esto, si paratus est ponere, et locus a municipibus ei non datur, Sabinus Proculus.* Quare in inscriptionibus etiam saepe legimus *I. D. D. D. i. e. locus datus decreto decurionum.* In ipsius praeterea domus insigniori quadam parte praecipueque in atrii omnium, si qui magistratus gessissent curules, ad memoriam posteritati prodendam, imagines oris similitudinem referentes a posteris iam inde ab antiquissimis temporibus positas, ab atriariorumque fide diligenter conservatas fuisse con-



constat, vnde duceretur non modo familiarum nobilitas, sed quarum aspectu etiam ad praeclare facta suscipienda incenderetur posterorum cupiditas.

§. II.

Sed quoniam de statuarum honore earumque ponendarum iure, FRIGELIVS iam, SIGONIVS *de antiq. Iure civ. lib. 2. c. 2.* TROTZIVS *l. c.* aliique satis luculenter exposuere, ad illum de statuarum post memoriam damnatam fortuna locum excolendum ex instituti ratione nostra sese conuertat oratio. Ac quorum damnata esset memoria, vt indicaretur non modo dignitatum nobilitatisque adeo decoribus illos priuatos esse, sed etiam vt memoriae talium hominum statuarum adspectu renouandae occasio omnis amoueretur, illorum igitur omnes statuas atque imagines confractas fuisse atque abolitas et leges nostrae et externorum scriptorum testimonia probant. In *L. quidem 24. D. de poenis* diserte legimus: *Eorum qui relegati vel deportati sunt ex causa maiestatis statuas detrahendas scire debemus.* De Eutropio cui tot ex omni materiae genere exstructae stabant statuae, vt teste CLAVDIANO *lib. 2. v. 70.* vbiuis fere eius vultus occurrerent, disponit Arcadius imperator in *l. 27. C. Th. de poenis*: *Omnes statuas, omnia simulacra tam et aere quam ex marmore seu ex fucis quam ex quacunque materia quae apta est effingendis ab omnibus ciuitatibus, oppidis, locisque priuatis ac publicis, praecipimus aboleri ne tanquam nota nostri seculi obtutus polluat intuentum.* Quare et CLAVDIANVS canit *l. c.*

— — monumenta petuntur dedecoris.  
cf. IACOB GÖTHFRID *ad Cod. Theod. l. c.*

§. III.



## §. III.

Ex aliis autem quoque scriptoribus cognoscitur haec statuarum deiectio tyrannorum aliorumque criminis perduellionis reorum, quorum statuas reprobatas appellari ex *l. 4. D. ad Leg. Jul. mai.* recte observat RAEVARDVS. De Domitiano SVETONIVS *C. 23.* *Contra Senatus adeo laetatus est ut repleta certatim curia non temperaret, quin mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere laceraret, scalas etiam inferri, clypeosque et imagines eius coram detrahi et ibidem solo affligi iuberet.* De Vitellio ait DIO CASSIVS *LXV. 21.* non modo eum sed et statuas eius in carcerem tractas esse. ἐσύρετο εἰς τὸ δεσφωτήριον ὡππὲρ καὶ οἱ ἀνδραγῶρες αὐτοῦ. LAMPRID. *Antonino c. 13.* *Antonius Alexandri ut tyranni volebat luto tegere statuas et titulos, et mandavit ad senatum ut Caesaris nomen ipsi abrogaretur.* IDEM *in Commodo c. ult.* CAPITOLINVS *in Pertinace c. 6.* *Statuae Commodi deiectae sunt.* IDEM *in Gord. c. 9.* *Appellato Gordiano imperatore iuvenes qui auctores huius facinoris erant statuas Maximini deiecerunt imaginesque persregerunt.* IDEM *c. 13.* *statim deiectae sunt statuae et imagines eius qui hostis fuerat indicatus.* IDEM: *c. 19.* *Parricidae gladiatoris memoria aboleatur, statuae detrahantur, carnifex unco trahatur.* IDEM *in Maximin. c. 23.* *In oppido igitur vicino statim Maximini statuae atque imagines depositae sunt* cf. HERODIANVS *I. 14.* *vbi tamen nullius oppidi mentio fit.* TACITVS *iam An. 6. 2.* *Atroces sententiae dicebantur in memoriam et effigies.* Vnde et AMBROSIVS: *Vide quemadmodum in ciuitatibus bonorum principum imagines perseverent deleantur tyrannorum.* Et. IV. VENCALIS:

*Frangenda misera funestat imagine gentem.*

Omnes omnino talium hominum picturas, si quae aessent, deletas fuisse perhibet HERODIANVS *7. 2.* Ipsos num-

D

mos



mos in quibus signata tyrannorum imago reperiretur, contentos fuisse, memoriaeque eorum delendae causa iustum valorem amisisse ex ARRIANI *Diff. Epictetic. IV. 5.* colligitur: *τίνα ἔχει τὸν χαρακτῆρα τοῦτο τὸ τετρασάβον, Τραϊανου Φέρε. Νέρωτος ἔψον ἔξω ἀδόκιμον ἐστὶ σαπρὸν.*

## §. IV.

Satis statuarum imaginumque confractionem legum scriptorumque testimoniis probauimus. Age igitur videamus, id quod magis quam res ipsa incognitum videtur, quibus quasi ritibus solemnitatibusque adhibitis illorum, quorum memoria damnata fuisset, statuas lacerari Romanorum crudelitas. Ac recte monet LIPSIVS *ad Tacit. l. c.* aut magistratum auctoritate in illorumque praesentia ab hominibus ad id demandatis submotas fuisse statuas, aut etiam interdum ab impetu ac furore plebeio illas auulsas fuisse raptas. Illud enim probat CICERO *Act. IV. in C. Verrem. Centuripinorum senatus decreuit populusque iussit, ut quae statuae C. Verri ipsius et patris et filii essent eas quaestores demolendas locarent, dumque ea demolitio fieret Senatores triginta non minus adessent.* Ex quo loco intelligimus simul, quemadmodum, vti supra vidimus nemo potuit in provinciis, nisi municipalium magistratum decreto statuis honorari; sic etiam ad easdem deliciendas eorundem auctoritate opus fuisse. Interdum tamen furori etiam plebeio rem totam commissam fuisse videmus. Atque tunc statuas laqueis iis impositis detrudere plerumque solebant. Hinc IUVENALIS *Sat. X. v. 58.*

*Descendunt statuae restemque sequuntur.*

SENECA *de statu Poppaeae*

*Membra per partes trahunt*

*Diducta laqueis.*

Auulsae vero statuae aut in latrinas coniciebantur, SVE-  
TONIVS *in Nerone c. 24.* aut solo affligebantur, DOMI-  
TIA-



TIAN. c. 23. aut etiam in Gemonias trahebantur. Hinc TACITVS *Annal.* III. 14. *Effigies Pisonis traxerunt in Gemonias et deuelebant.* Quem ritum omnem egregie illustrat visque quasi coloribus depictum exhibet PLINII in panegyrico locus: *Ergo istae aereae et paucae manent manebuntque quamdiu templum ipsum: illae autem aureae et innumerabiles frage et ruina publico gaudio litauerunt. Iuuabat illidere solo superbissimos vultus, inslere ferro, saeuire securibus, ut si singulos ictus sanguis dolorque sequeretur. Nemo tam temperans gaudii seraeque laetitiae fuit, quin instar ultionis videretur cernere laceratos artus, truncata membra, postremo truces horrendasque imagines excoctasque flammis ut ex illo terrore et ruinis in voluptates hominum ignibus mutarentur.* Cf. CASELIVS *Varior. Lib. II. 16.*

## §. V

Omnino igitur tenendum est non integras semper tallium hominum statuas a plebis petulantia fuisse contractas, sed etiam seruatas interdum eas, omni tamen ludibriorum genere affectas. Sicuti de titulis nominibusque probanimus, etiam statuas lutulare solebant Romani. De Maxentio ait EUSEBIVS *Lib. IX. c. ult.* Ἀνδραγρες τε ὁμοως ὁπόσοι εἰς τὴν αὐτοῦ τιμὴν διανεήμισαν, ὡσαύτως ἐπιτόμενοι συνετέρισσαντο γέλωτος καὶ παιδιᾷ τοῖς ἐνυβρίζων καὶ ἐμπαρονεῖν ἐθέλουσιν ἐνχειμένοι. Statuae etiam quotquot in illius honorem fuerant erectae similiter deiectae et protritae sunt, ac ludibrio et irrisui expositae omnium, qui iniuria et ignominia eas afficere vellent. Conf. CAPITOLINVS in Antonino c. 14. Atque hunc morem luto inquinandi esse antiquissimum atque ab Atheniensium institutis ad Romanos fluxissimum, qui ut referunt graeci grammatici, criminis alicuius damnatos solebant lutulare ac ita traducere quod dicebant προπηλαλίζων erudite probat CASAVBONVS ad Lamprid. *Ant.*



*Ant. c. 14.* Praeterea vti olim ex statu is Demetrii Phalerei auctore LAERTIO Athenienses, sic etiam ignominiae causa Romani ex statu is fustilibus vasa saepe ad obscenos vsus conficere solebant. SVETONIUS in *Nerone c. 24.* IVVENALIS. *Sat. I. v. 131.*

§. VI.

Interdum tamen a talibus contumeliis abhorrebant Romani, ac modo ne aspectus sceleratorum hominum illos terreret statu is ipsis seruatis aliud caput super imponendum curabant, vti ex HIERONYMI in *Habacuc 3.* loco a FORNERIO iam laudato videmus: *Si quando tyrannus detruncatur imagines quoque d. ponuntur et statu ae et vultu tantummodo commutato ablatoque capite eius qui vicerat facies superponitur.*

§. VII.

Intelligendum vero est non modo statu as istorum hominum fuisse ex conspectu totius ciuitatis remotas, sed etiam imagines eorum priuatim asseruare culpae iam fuisse. CICERO quidem *pro Rabirio* ait: *Sextus Titius quod habuit imaginem Lucii Saturnini domi suae condemnatus est.* AMBROSIUS *offic. l. 49.* *Si tyranni aliquis imaginem habeat nonne obnoxius est damnationi?* Locum vero SVETONII in *Nerone c. 37.* vbi Cassio Longino ICTO obiectum fuisse commemoratur quod C. Cassii percussoris Caesaris in veteris gentis stemmate retinisset imagines, quem huc trahit FORNERIUS, non de his imaginibus, sed potius de inaguncula in stemmate, qualia stemmata sequiore aetate confecta in atrio proponere solebant Romani, vti ex SVET. in *Galba c. 2.* elucet, intelligendum esse, egregie more suo ostendit S. V. ERNESTI academiae nostrae decus, in *notis ad Suet.* Sed vt ad illas in atrijs positas imagines reuertamur, cum plerumque illae vna cum funeribus omnium cognatorum esse.



efferrentur, praeclarorum facinorum memoriae in animis hominum excitandae causa, damnatorum tali modo hominum imagines ab exequiarum quoque solemnitate plane arcuisse Romanos legimus. Sic TACITVS L. II. *An. Cotta Messalinus ne imago Libonis exequias posterorum comitaretur censuit.*

§. VIII.

Ceterum nec hodie insignium quae in statuarum imaginumque romanarum locum successere contractionem a carnifice hodie plerumque suscipiendam cessasse multa restant exempla. Etsi enim hodie saepenumero, etiam sine turpitudinis infamiaeque nota ultimo gentis extincto, ne qua familiarum conturbatio inde existat, insignia franguntur, vnaque cum eo sepulta conduntur cf. WILLENBERG *de iure ultimi suae gentis p. 121. sq.* inprimis tamen si cuius memoria damnatur insignia etiam aboleri inuenimus. Sic Caroli Borboniae ducis, qui a Galliae maiestatis rege defecerat, insignia fracta fuisse refert SLEIDANVS L. VI. *comment. p. 146.* Sic Casparis Collinii Pacarisiensis parlamenti decreto laceratas fuisse imagines commemorat THVANVS L. 53. Et a populo seruitutis iugum excutere cupido Mediceae gentis insigne fuisse abrasum perhibet PAVLVS IOVIVS L. 25. *hist.* Qui plura exempla scire cupit adeat HÖPPING *de iure insig. c. 16.* cf. FICHTNER *de insig. fract.* Recentissima talis fractionis exempla quippe omnibus satis nota consulto silentio praeterimus.

CAPVT IV.

*De aedificiorum subuersione.*

§. I.

Cum virorum egregijs meritis splendentium honori existimationique apud imperitam praesertim taliaque me-  
rita



rita iusta haud lance ponderare valentem plebem, multum haud dubie addatur aedificiorum ab iis exstructorum pompa, quippe quae sensus illius ferit, nullis autem meritis solaque opum amplitudine conspicuorum hominum honos, cum aedium magnificentia stare ac vna cum eadem saepe labare incipiat, plerumque quorum damnata esset memoria ne nominis eorum saluti aedibus conseruandis confuleretur, aedes etiam eorum subuersas penatesque erutos fuisse deprehendimus. Quo liberaliores enim essent in aedificiis egregiis viris publico etiam sumtu exstruendis, vti Scipionis Nausicae, Claudiique illustra exempla testantur, *SCIPIONIS in Claud. c. 6. VOPISCVS in Caro c. 6.* eo firmiori iure in perditorum hominum etiam proprias aedes saeuire se posse existimabant Romani. Atque clarissima profecto existant aedium dirutarum in historia Romana exempla, vt nesciam quo modo Canonico tandem iure hanc innotuisse poenam affirmare possit *GERLACHIVS diff. laudata.* De Sp. quidem Maelio, qui nefaria agitasset aduersus rempublicam romanam consilia *LIVIUS L. IV. c. 16. ait: Domum deinde vt monumento esset area depressae nefariae spei dirui ex-templo inffit dictator, id Aequimelium appellatum est.* Et *VALER. MAX. L. VI. c. 3. Area vera domus Sp. Maelii, quo iusti supplicii notitia ad posteros perueniret Aequimelii appellationem traxit.* Sic Sp. Cassii, qui simili agitabatur euertendae reipublicae libidine, aedes dirutas fuisse publice, commemorat *Liuius II. c. 41. et VAL. MAX. l. c. narrat.* Senatus populusque Romanus non contentus capitali Sp. Cassium supplicio afficere interempto domum superiecit vt penatium quoque strage puniretur. In solo autem aedem Telluris fecit. Itaque quod prius domicilium impotentis viri fuerat, nunc religiosae seueritatis monumentum est. De Marco Flacco et L. Saturnino idem ait, *l. c. M. Flacci et L. Saturnii seditiosissimorum hominum corporibus*





ribus trucidatis penates ab imis fundamentis eruti sunt. Caeterum Flacciana area cum diu priuatis vartis mansisset et a Q. Catulo Cimbricis spoliis adornata est. Certe perpetuam plerumque notam iniustam haecisse talium flagitiosorum civium aedibus vel M. Manlii exemplum docet, de quo LIVIUS VI. c. 20. ait. *Adiectae mortuo notae sunt, publica vna quod cum domus eius fuisset, vbi nunc aedes atque officina Monetae est, latum ad populum est, ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret.* VAL. MAX. l. c. *Propter illum lege sanciri placuit, ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret, quia domum eo loci habuerat vbi nunc aedem Monetae videmus.* Cf. CICERO pro domo c. 38. Ex quibus exemplis iam apud Romanos memoriae damnationi plerumque accessisse aedium euerfionem clarissime cognoscitur, id quod etiam ex L. 20. c. 8. com. diu. imprimisque L. 11. §. 14. D. de legat. III. colligitur, vbi de eo quaeritur si quis illicite aedificasset illud quod iuberent dirui Constitutiones, quas leges huc pertinere existimauerim,

§. II.

Sed susceperunt etiam singularem illius poenae rigorem iuris Canonici auctores. In Cap. enim V. de poenit. 6. disponitur *ut habitationes fiant desertae et vt non sit, qui eas in habitat, dentur cuncta aedificia in ruinam, vt perpetuae notam infamiae perpetua ruina testetur, nulloque tempore reparentur.* Ac ne recentiore quidem aetate criminis perduellionis reos effugere potuisse huius poenae acerbiteratem, sed aedes eorum certe primarias fuisse subuersas atque ad fecunditatem impediendam ex superstitione quadam saepe sale conspersum solum, testatur Collinii ex THVANO supra commemoratum exemplum, aliisque probat PHILIPPI in *Vsu pract.* l. 1. c. imprimisque FABER Cod. L. IX. tit. 6. qui etiam si sine damno aliorum iniuriaque non potuissent aedes ipsae integrae



grae dirui certe lapidi parietibus infixo horrendum saepe facinus superscriptum fuisse admonet. Cf. CARPZOV *Pract. Crim. I. c. 4. 41.*

### §. III.

Non acquieuit autem in singulorum patriae hostium aedibus euertendis Romanorum acerbitas, sed si integrae etiam ciuitates se subduxissent imperio romano obedientiamque Romanis praestare recusarent, integras etiam saepe ciuitates ad eandem fortunam vocauit euertendisque omnibus aedibus omnem earum memoriam extirpare conata est, vti iam antiqua aetate Hannibal Himeram auctore DIO DORO SICULO *lib. XIII.* Thebanique Plataeam THUCYDIDES *L. III. Hist.* vastauerant. Ex *L. quidem 21. D. quib. mod. usufr.* apparet *extingui usumfructum ciuitati relictum si aratrum pateretur.* Vti scilicet in extruendis vrbibus aratrum ita adhibebant ritu Sabino cincti veteres, vt ductis a Triumuiris fulcis religio statim quaedam muros occuparet, *L. 239. D. de V. S.* sic eodem cinctu Sabino aratroque in ciuitatibus aut in potestatem populi Romani redigendis, aut in iisdem plane euertendis vtebantur. Ac circumduci quidem aratrum dicebatur, si ex manibus hostium erepta ciuitas coloniis romanis deducendis in ditionem potestatemque populi romani transfret, CICERO *in Philipp.* induci autem in eam si plane euerteretur nomenque amitteret, et sic sacra fieret vt a nemine mortalium possent habitari vti Carthaginem deletam fuisse hoc modo a Romanis refert ZONARAS *Annal. T. II.* Corinthumque ac Antiochiam aliasque vrbes hostiles a Romanis fuisse euersas ex multis aliis scriptoribus constat. Hinc HORATIUS *Lib. I. od. 16.* canit:



*Irae Thyestem exitio graui  
Strauere et altis urbibus ultimae  
Stetere causae cur perirent  
Funditus, imprimeretque muris  
Hostile aratrum exercitus infolens.*

Vbi scholiastes Acron condendis euertendisque ciuitatibus aratrum adhibuisse veteres admonet. SENECA autem de Clem. L. 1. c. 26. Aratrum, inquit, nefastis urbibus induci potentiam vocant. Cf. PET. FABER Semeft. I. 8. RAEVARD Coniect. II. 7. HEINECCI Synt. antiquit. L. II. tit. 5.

## §. IV.

Atque eandem fortunae miseriam multas etiam recentiores saepe vrbes a victorum crudelitate expertas fuisse variis possumus ex historia exemplis probare, nisi id superfluum esse iudicemus, quippe legibus illustrandis intenti, inutilisque compilationis notam effugere acerrime cupimus. vid. HENELII Oti. Vratislav. c. 8.

## CAPVT V.

*De sepulturæ, luctus ac laudationis denegatione.*

## §. I.

Cum de nulla re diligentius cogitare soleant liberales animi, quam de honesta post mortem corporis sepultura monumentisque in sepulchrorum locis ad memoriam conseruandam exstruendis, praetereaque nihil ardentius optent, quam crebra post fata virtutum suarum praeconia, contristatosque morte hominum animos, ne patriae hostium ac perduellium recordatio ipsorum sepulchrorum occasione renouaretur, ad posterosque luctus laudationisque consuetudinis beneficio propagarentur istorum facinora, in viscera

E

ac



ac cadauera ipsa eorum penetravit Romanorum crudelitas, atque et insepulta ea abiicienda curavit et posteros insuper a lugendo laudandoque arcuit, de quo ut nunc exponamus admonet instituti ratio. Etsi enim aliorum etiam facinorosorum hominum, veluti si qui delicti conscientia manus sibi in ipsis intulissent, cadauera inhumata relinquebantur, pontificioque iure contra antiquum morem, ut CHRYSOSTOMVS testatur *Serm. 35. in 1 ad Corinth.* ad Iudaeos, haereticos, excommunicatos, schismaticos, vsurarios manifestos et alios multos sepulturae luctusque denegatio extensa fuit, conf. GONZALEZ TELLEZ *ad Decret. Tom. III. p. 561.* proprio tamen quasi iure iade ab antiquissimis temporibus ad illos, quorum damnata esset memoria perduelles tyrannosque vtraque haec poena pertinuit, diligentiusque adeo hac in scriptione exquiri meretur. Atque ut a sepultura incipiamus constat satis veteres opinionis quodam errore insepultorum animos misere errare existimasse. Hinc TERTULLIANVS *de anima: Creditum est insepultos non antea ad inferos redigi, quam iusta perciperent; et VIRGILIUS canit*

*Haec omnis, quam cernimus inops inhumataque turba  
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt  
Centum errant annos volitantque haec littora circum  
Tunc demum admissi stagna exoptata reuisunt.*

Cf. GYRALDVS *de var. sepel. ritu p. 647.* Quare profecto nulla re fortius animos tali praesertim superstitione tactos, ab horrendis istis facinoribus abstertere se posse putabant legumlatores, quam sepultura deneganda, praesertim cum ipso iam AESCHINE auctore *in Orat. de fals. legat.* omnes homines vehementius plerumque metuere soleant poenam, qua se mortuos affici putant, quam qua vivos, ita, ut quae in mortuos constituuntur, in rem viuentium



constitui videantur. Cf. Ill. WINCKLERI pererudita *Comment. de poenis volunt. mort.* Sed cum de ipso apud veteres sepulturae honore, ipsorumque sepulchrorum religione KIRCHMANNVS iam ac GVTherivs praeclare exposuerint, testimoniaque sat multa aceruarint, statim originem ac fata huius denegationis sepulturae, ac tempus, quo illa memoriae damnationi quasi appendix accessit ostendere iuvat. Ac iam Athenienses patriae proditores in Attica sepeliri nefas existimasse ex XENOPHONTE *Lib. 1. ἐθανικῶν* elucet, vbi Euryptolemus hanc testatur Atheniensium consuetudinem atque DIO CHRYSOSTOMVS hanc eius causam affert, ne quod scelerati ac nefarii hominis indicium posteritati relinquereetur. Quare Themistoclis Magnesiae mortui ossa clam modo ab amicis in Attica sepulta fuisse, Phocionis corpus vere fuisse insepultum abiectum atque Phrynichi ossa etiam post eius mortem eruta et extra Atticam translata fuisse tradit THVCYDIDES *lib. 1. PLVTARCHVS in vita X. rhetor.* atque LYCVRGVS *in orat. contra Leocrat.* Neque Lacedaemonios ab hoc poenae genere abhorruisse, sed idem in Pausaniam patriae proditorem constituisse ex AELIANO *var. hist. L. 4. c. 7.* apparet. Cf. POTTERI *Archaeol. graeca. l. 4. c. 1.* et KIRCHMANNVS *in append. ad libr. de funer. c. 4. FORNERIVS l. c.*

### §. II.

A Graecis autem transit haec consuetudo ad Romanos. PLVTARCHO *in Probl. 29.* auctore. Vnde discrete cauetur *L. 1. D. de cadau. punit: Eorum, qui maiestatis essent damnati, corpora nunquam esse sepelienda.* Atque mature iam Romanis delendae memoriae talium hominum causa hoc poenae genus placuisse testatur exemplum Grachorum, de quibus VALER. MAXIMVS *L. 6. c. 3.* *Viguit in nostra ciuitate Tiberii et Caii Grachorum summa nobilitas, ac spes am-*





pliffima, sed quia statum civitatis conati erant conuellere insepulta cadauera iacuerunt supremosque conditionis humanae honos filiis Grachi et nepotibus Africani defuit. Cf. PLVTARCHVS in Grach. in fin. Nec eorum militum, qui Rhegium iniusto bello occuparant corpora sepulturae mandata fuisse probat VALERIVS L. II. c. 7. Vespasianum tamen adhuc praetorem illud ius, quod incertum antea fluctuarat, quamuis iam sub Caligula firmatum fuisse videatur, perpetuum tamen diserte fecisse probat SVETONIO c. 2. Poenae coniuratorum addendum censuit, ut insepulti proiicerentur. Hinc Cloantillae tanquam crimen obiectum fuisse commemorat QVINCTILIANVS L. 8. c. 5. quod virum, qui inter rebellantes fuerat, sepeliisset.

## §. III.

Atque non modo priuatos, hostiliter aduersus rempublicam animatos, sed ipsos etiam imperatores, qui tyrannorum animum induerant, hac poena ignominiae affectos fuisse cognoscimus. Diserte enim APPIANVS L. II. de bello ciu. *δόξαντος δ' ἐπὶ βλα τρυαννίταις, τότε σώμα ἀταφὸν τῆς πατρίδος ὑπεροίξεται.* Sic talem fortunam minabatur Tiberio populus teste SVETONIO c. 75. atque vere eam subiisse Vitellium, Commodum, Maximinum, Eleogabalum, SVETONIVS historiaeque augustae scriptores commemorant. cf. RADVLPHVS FORNERIVS l. c.

## §. IV.

Omnino autem tales homines, qui hoc se polluisent crimine in scalas plerumque Gemonias seu uti a PLINIO l. 8. c. 40. vocantur gradus Gemonios, siue a conditore, siue potius a gemitu ita appellatos, (Cf. POLLETVS *Hist. fori rom. l. 4. c. 14.*) abiectos fuisse legimus. Sic de M. Clodio VALER. MAXIMVS L. 6. c. 3. ait: *M. Claudium Senatus Corfis, quia turpem cum his pacem fecerat deditit. Quem*  
ab



ab hostibus non acceptum in publica custodia necari iussit. Semel laesa maiestate imperii, quot modis ira pertinax vindex factum eius rescidit, libertatem ademit, spiritum extinxit, corpus contumelia carceris et detestanda Gemonianum scalarum nota defoedavit. Sic IDEM l. 6. c. 9. Qu. Caepionem cum eius culpa exercitus romanus a Cimbris et Teutonibus deletus videretur in scapas Gemonias abiectum fuisse refert. De corpore Sabini abscisso capite in Gemonias tracto, et de Seiano vincis per urbem raptis, in Gemonias abiecto, et post triduum in Tiberimmerso Vide DIONEM Lib. 57. p. 430. Atque de Tiberio SVETONIUS c. 61. ait: sub eo neminem punitorum non in Gemonias abiectum uncoque tractum fuisse. Cf. IOH. VAN BEVCKER. Diff. de Crimine maiestatis Cap. III. §. 4. §. V.

Sic et tyrannorum quemadmodum denictorum hostium post mortem cadauera, caput inprimis ac cervicem pedibus interdum calcasse Romanos occurrit. Vnde PAVLIANVS Sylu. L. I. 1.

Vacuae pro cespite terrae

Aenea captivi crinem terit ungula Rheni.

Super Albini quidem corpus equum egisse Severum testatur, Spartianus c. 12. Herodianus lib. III. c. 8. Vid. de Turno VIRGILIUS Aeneid. Lib. X. CURTIUS Lib. IX. 7. LACRANTIVS de morte persecut. c. 5. Cf. ad Propert. I. Eleg. I. qui ad amorem hunc calcandi morem transfert Bruckhousium.

§. VI.

Non modo vero, quorum memoriae damnassent, cadauera sepulturae honore priuabant; sed etiam ne vlla remaneret in animis hominum eorum recordatio, ab lutu omni, qui desiderio rei amissae animum agitarum indicat eiusque memoriam in nobis vel inuitis renouat prohibere posteros solebant. Sic enim L. II. §. 3. D.



de his qui not. inf. Non solent autem lugeri ut Neratius ait  
 hostes vel perduellionis damnati; quae tamen lex simul a nu-  
 bendi licentia ob sanguinis turbationem talium hominum  
 vxores arcet. Atque in *L. 35. D. de relig.* MARCEL-  
 LVVS ait: *Maiores iam non lugendum putasse eum qui ad*  
*patriam delendam venerit; in qua lege, vt hoc obiter mo-*  
*neamus, FORNERII lectio, qui Graecorum auctoritate*  
*nixus in his verbis: quem si filius patrem, aut pater fi-*  
*lium occidisset sine scelere etiam praemio afficiendum omnes*  
*confituerunt, pro quem si, legit quin si, haud adoptanda*  
*videtur, quippe nulla illam extorqueat necessitas ac be-*  
*ne se habeat Florentina lectio probumque sensum fundat.*  
 Sed vt ad ipsum luctum veniamus, illius prohibitionem ad ex-  
 stinguendam memoriam antiquam esse age nunc probemus,  
 Olim iam Horatius apud LIVIVM sororem sponsum lugentem  
 his verbis interfecit: *Sic eat quaecumque Romana lugebit hostem.*  
 Sic Grachorum, Fulviorumque tanquam perduellium vxori-  
 bus luctum publice interdictum fuisse refert PLYTAR-  
 CHVS in *Grach. p. 842.* Milites etiam qui Rhegium oc-  
 cuparant non lugebantur auctore VALER. MAXIMO  
*Lib. II. c. 7.* Proscripti autem a Triumviris ne lugeren-  
 tur cautum fuisse refert DIO *Lib. XLVII.* atque IDEM  
*L. LVII.* tradit Seianum tandem, a quo et ipso lugen-  
 do initio cognati decreto prohibiti fuerant lugeri per-  
 misisse Tiberium sub quo alias anus Fusci Gemini mater,  
 quod filii necem fleuisset necata legitur. Ceterum no-  
 tandum est Tiberium primum auctore SVETONIO in  
*eius vita Cap. 62.* omnium capitis damnatorum commune  
 supplicium constituisse luctus priuationem, solis propri-  
 cidis exceptis, quare etiam magnam huius delicti fre-  
 quentiam poena hac remittenda in urbem induxerat TA-  
 CITVS *Annal. VI. 29.* conf. MERILLIVS *Lib. VII. obs. 32.*  
 §. VII.



## §. VII.

Vna autem cum omni post funera honore, funebris etiam laudationis solemnitate illos, quorum esset abolita memoria, priuatos intelligitur, quae laudationes cum apud Graecos fortibus modo bello, apud Romanos bello paceque claris ad memoriam praestantium virorum aeternitati consecrandam posterisque exempla virtutum proponenda inde a Valerii Publicolae tempore, quem primum in honorem Bruti Collegae funebrem dixisse laudationem refert PLYTARCHVS in *Poplic.* DIONYS. HALICARN. *Antiq. rom. V. 17.* ex Scto saepe pro rostris contingebant. Cf. GYTHERIYS *de iure manium L. I. c. 25.*

Cum igitur in deneganda sepultura denegandoque luctu ut omnis deleteretur perduellium memoria, intendisse videantur legumlatores, vnde et sub Caracalla auctore HERODIANO atque Alexandro Seuero referente id PAVLO in *sent. V. 29. 1.* ne ossa colligi possent interdum combustos illos fuisse animaduertimus, omnem hunc de sepultura luctuque sermonem ad hanc de damnata memoria tractationem pertinuisse intelligitur.

## EPILOGVS.

Sed haec fere sunt quae de his damnandae memoriae modis, ad quos solos hac descriptione exhibendos chartae nos angustia redegit, admonenda habuimus. Quodsi erroribus, si qui irrepserint, id quod in tam diffusa materia facile accidere potuisse existimamus, benevole condonauerit lectorum aequitas, ad reliquas damnatae restitutaque memoriae partes singulis mox descriptionibus exhibendas absoluendumque adeo totum opus nostra sese conuertet opera.

P. 16, lin. 12, pro introductam leg. obductam.

E Π Ι Μ Ε Τ Ρ Α .

I.

*Litis contestatio fiebat adhuc in iure.*

II.

*Trebatius Testa stoicae sectae affecta fuisse haud videtur.*

III.

*Puleberrima omnium est NERII, TROTZII, PVTTMANNI, academiae nostrae ornamenti interpretatio L. 2. D. de in ius voc. eos, qui se ob loci religionem mouere inde non possunt, liberos ibi esse sepulchrorum custodes, quamuis et illa difficultatibus premi videatur.*

IV.

*Non absouum videtur legem decemviralem de obaeratis debitoribus de vera corporum sectione intelligere.*

V.

*Disputationis fori nomine appellatur ius ex rebus iudicatis ortum, quae est recta BACHII et CANNEGIETERI opinio.*

VI.

*Diuortiorum licentia conducit magis quam obest reipublicae.*

VII.

*In nostris ciuitatibus plerumque mortis poena tuto carere possimus.*

VIII.

*Non est iniustum alienae quamuis verae religioni addictis emigrandi necessitatem imponere.*

---

Leipzig, Diss., 1776 H-2

ULB Halle

007 411 979

3



vonp

TA-OC







1776, 51  
503  
16

DE  
DAMNATA MEMORIA

DISSERTATIO PRIMA

Q V A M

CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM COLLEGII

PRAESIDE

CHRISTOPHORO FRIDERICO

W O L L E

LEGVM AC PHILOSOPHIAE DOCTORE

A. D. XX. IVN. MDCCLXXVI.

IN AVDITORIO ICTORVM

DEFENDET

IOHANNES GOTTLOB SOLBRIG

LIPSIENSIS

LIPSAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA